



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

xvj. De Iudicijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

Quamvis non plures, quàm vnus vir, vnâquæ mulier accedere debeant ad suscipiendum de baptismo infantem, si tamen plures accesserint, cognatio inde contrahitur, matrimonia cōtrahenda impediens, ac etiam pōst contracta dissoluens.

De confirmatione insuper, quantum ad hoc, idem iudiciū est habendum^a.

Per Catechismum quoque, qui Baptismo tanquam exordium est, cognatio hæc inducitur, per quam contrahendum matrimonium impeditur, per eam tamen matrimonium contractum postea non separatur^b.

Postremò sciendum est, hanc cognationem ad nepotes non extendi.

III.

DE IVDICIIS.

Et hæc de Sacramentis hætenus dicta sufficiat: nūc ad quartam, eandemque vltimā nostri instituti partē accedamus, quæ est de iudicijs.

DE IVDICIIS,

TITVLVS XVI.

Iudicium, est actus trium personarum in iudicio contendētium^c: quod vel coram Ordinario, vel coram delegato exercetur. Sed & Arbitria ad instar iudiciorum sunt redacta^d.

Et aliud est iudicium summarium, aliud ordinarium, de quo infra.

Item aliud est possessorium, aliud petitorium. Petitorio quidem iudicio agitur de rei dominio & proprietate. Possessorio agitur de possessione: idq; tribus ferè modis, vel vt retineatur, vel vt quæatur, vel vt recuperetur possessio. Et cum super possessorio & petitorio simul est actum, vtrumque vna sententia terminari debet: sed licet in pronunciando sit possessio præmittenda, in executione tamen debet proprietas prævalere^e.

In iudicio ordinario sic proceditur: nam in primis actor libellum iudici offert in scriptis reo citato reddendum, cum quo litigaturus est^f. Citatio enim in omni actu, quo præiudicium inferri possit, necessaria est, adedò vt nullatenus tolli possit^g, cum sit iuris naturalis. In libello actor suū, iudicisq; nomen, & rei conventi comprehender, remque petitam, & petēdi causam^h. Non tamen actionis nomen hoc iure est necessariò in libello exprimendum, etsi aliud Cæsareę leges decernāt, sed satis fuerit simpliciter, & purè factum ipsum & rei veritatē proponiⁱ. At si in hoc quoq; peccatū fuerit, reus erit à iudicij obseruatione absoluendus, seruata actori potestate aptius agēdi^k.

Nn 3

^a c. fin. in 6.

^b c. p. in 6.

^e c. cām dilectus. de cau. poss.

^f c. offeratur. 3. q. 3.

^g de. pastoralis. de re in.

^h c. 1. ubi gl. de libell. obla.

ⁱ c. dilect. de iudic.

^k c. examinata. de iudic.

^a Doct. in Ru. extra. cod.

^d l. p. de ar.

Nonnulla verò solent frequēter per reū opponi prius, quam ad merita causæ, & litis contestationem perveniatur, putà q̄ iudex incompetens sit, ut si forè iudex laicus clericū conveniret: neque enim clericus à iudice laico, vel distringi, vel condemnari potest, pœna etiã excommunicationis iudici imminente, qui id fecerit^a. Vel si quis corã non suo Episcopo conveniatur^b. Vel si alia huiusmodi opponantur, quibus iudicis declinetur, vel recusetur iurisdic-tio. Item si actor sit excõmunicatus, à limine iudicij repellendus est: conventus tamẽ debet, quamvis excommunicatus sit, per alium respondere, ne videatur de sua malitia commodum reportare^c. Sed & multa alia sunt, quæ vel contra actoris personam, vel aliàs ad impediendã litis contestationem opponi solent, quæ missa sunt, ne extra propositi nostri normam vagentur: post quæ ad litis contestationem venit.

Ea verò non per positiones, & responsiones ad eas, sed per petitionem in iure propositã, & responsionem sequutam celebratur^d: nec per exceptionẽ peremptoriam litis contestatio facta intelligitur: imo litis contestatio fieri nihilo minùs debet^e, nisi ex illis exceptionibus sit, quæ litis contestationem impediunt^f: veluti ex-

ceptio rei iudicatæ, transactæ, vel finitæ^g.

Contumace autem existente reo, in actione quidem reali mittendus est in possessionem rei petitæ actor, ut tædio affectus reus veniat responsurus: qui si intra annum venerit, iudicio sisti cautione præstita, & exhibita satisfactione congrua, expensarum possessionem recuperabit: cautione autem intra annum non præstita, actor post annum verus constituetur possessor, super proprietate durat aduersæ parti defensione legitimè reseruata: sed alienarum rerum immobilium possessor dominum in iudicio statim nominare debet, eique certus terminus à iudice præfinitur, quò domino id notum facere possit, ut ipse veniens, vel idoneum derigens, responsalem actoris intentionem excipiat: quo nec veniente præscriptio longi temporis nihilo minùs hoc facto interrupta cesebitur: & si dominus tribus edictis vocatus nõ venerit, negotio summatim examinato, actor in possessionem rerum petitæ mittendus erit, omni allegatione absenti super principali quæstione reseruata^h. Si autem personali actione conventus reus, eo, quo supra dictũ est, modo contumax fuerit, vel mittendus est actor in possessionem mobilium ipsius, vel im-

g c. 1. de lit. com
test. in 6.

a c. 2. de foro
comp.

b c. 1. de foro
comp.

c c. intellexi-
mus. de iu-
dic.

d c. uni. de lit.
contest.

e c. fin. de lit.
contest. in 6.
f. h. c. fin.

h c. quoniam.
frequenter.
S. fin. ut lite
non contest.

mo-

mobiliū, si fortè mobilia non habeat, pro modo debiti declarati: vel in contumacem est Ecclesiastica sententia proferenda, ita vt alterutra pœna, quæ verisimiliter magis metuenda sit, iudex à principio contentus sit, ad alteram nihilo minùs processurus, si hoc meruerit proteruitas contumacis, qui veniens infra annum, vel post annum etiam iuxta distinctionem in alio casu superiùs annotatam, audietur. At si post litem contestatam reus contumax sit, & de causa liqueat, definitiua sententia poterit proferri: sin nō liqueat, actor in verā possessionem poterit tñ immiti.

a d. c. quoniā frequenter. S. fin.

b c. prout nobis. de dolo et contumacia.

s c. 2. de dolo & contumacia.

Regulariter autem lite non contestata nō est ad testium receptionem procedendum, nisi de testium morte fortassis timeatur, vel absentia diuturna: quibus casibus, cū ciuiler est agendum, ne veritas occultetur, & ne probationis copia fortuitis casibus subtrahatur, senes, & valerudinarij, & alij testes, de quibus ex rationabili causa timeatur, etiam lite non contestata admittendi sunt, seu pars conuenta sit contumax, seu sit absens absque malitia, vt conveniri non possit. At-

testationes tamen huiusmodi non valēbunt, nisi actor conuenit aduersarium intra annum, ex quo potuit, vel nisi huiusmodi testium receptionem illi denunciauerit. Possunt etiam alij casus incidere, quibus lite non contestata recipi testes opus sit, vt (verbi gratia) si super alicuius electione, vel copula maritali questio moueatur, præsertim si propinquitatis gradus opponatur lege diuina prohibitus: nam si contumax fuerit, is, contra quem agendum erat, seu quia citatione peremptoria accepta venire contemnat, seu quia se ipsum malitiosè occultet, seu quia impediat, ne ad se citatio perveniat, poterunt testes lite non contestata recipi, & vbi de causa liqueat, ad sententiam procedi. Item quando excessuum inquisitio contra contumacem, vel testium publicatio imminet facienda, quia super aliquo contractu in posterum questio metuatur, poterunt absque litis contestatione testes produci.

Post litis contestationem iuramentum calumniæ præstandum est, quo hæc iurans affirmabit, quod se credit bonam causam fouere, rogatusq; omnia fatebitur, quæ vera crediderit, nec sciens falsa probatione vertetur, iurabitq; se nihil dedisse, aut promississe, daturumve esse,

d d. c. quoniā frequenter. in prin.

e d. c. quoniā frequenter. S. porro. et S. sunt & alij.

aut promissurum, propter eam A
causam alicui his exceptis, qui-
bus leges dare permittunt, seq;
dilationē in fraudem nūquam
petiturum: etsi hoc postremum
tutiùs fortè omitteretur^a.

^a c. x. de iura.
calu. ubi gl.
Abb.

Contingit etiam interdum,
vt reus conventus alium vicif-
sim libellum ex aliqua causa cō-
tra actorem proponat: quod v-
bi incidit, debet iudex etiā dele-
gatus actorem in causa recon-
ventionis ad respondendum in
continenti cogere, & vtranque
causam vna sententia termina-
re^b.

^b c. i. de metu,
petit.

Arbitri verò non possunt, ni-
si de his, super quibus in eos cō-
promissum fuit, iudicare: pro-
pterea coram eis reconventio-
ni locus non est^c.

^c c. cū dilectus,
de arbit.

Hæc in iudicijs vt plurimūm
intervenire solent: videlicet, ci-
tationes, dilationes, recusatio-
nes, exceptiones, petitiones, re-
sponiones, interrogationes,
confessiones, testium deposi-
tiones, instrumentorum produ-
ctioes, interlocutiones, appel-
lationes, renunciationes, con-
clusiones: quæ omnia acta viri
idonei in id deputati conscri-
bent, ita vt originalia penes i-
psos remaneant ad fidem faciē-
dam, exempla partibus volen-
tibus dentur^d.

^d c. quoniam
contra fal-
sam de pro-
bat.

Libello igitur, vt suprā dixi-
mus, dato, litisque facta cōte-
statione, & re discussa, conclu-
sioneq; etiam in causa habita,

& partibus peremptoriè cita-
tis, sententia est proferēda, quæ
debet ab ipso iudice sedente,
non ab alio, de scripti recitatio-
ne proferri. Episcopo tamen
propter dignitatis prærogati-
uam licebit ad exemplum illu-
strium personarum, etiam per
alium sententiam recitare^e.

^e c. si. de re iu-
dic. in 6.

Sciendum est autem, senten-
tiam alijs nō nocere, q̄ eis, inter
quos lata est: eo tamē excepto,
q̄, cū sibi primūm actio, vel ex-
ceptio de ea re competeret, pas-
sus est, eum, à quo causam ha-
buit, experiri^f.

^f d. c. si. de re
iudic. in 6.

Duobus autem iudicibus di-
uersas sententias proferētib;
ex iurisdictione ordinaria, te-
net pro reo, non pro actore sen-
tētia, causa fauorabili excepta,
putà causa matrimonij, liberta-
tis, dotis, testamenti. Si verò
ex delegata potestate fuerint
latæ, vtraque ex arbitrio dele-
gantis pendebit: at si ex cōpro-
missio, neutra habebit vigorē^g.

^g c. p. extra de
re iudica.

Lata sententia, si is, contra
quem lata est, acquiescendum
ei nō duxerit, debet intra de-
cem dies appellare. Nam de-
cem diebus lapsis senten-
tia, à qua non fuerit appellatū,
vim rei iudicatæ habebit, ac
post quadrimestre executionē
in actione personali sortietur,
nisi iudex eum terminum coar-
ctarit^h. Nec minùs in electio-
nibus, postulationibus, provi-
sionibus, & quibuslibet acti-
bus

^h c. quod ad cō-
sultationē
de re iudic.

bus extraiudicialibus, in quibus appellatio est permiffa, intra decem dies appellandum est^a. Et non est prætermittendum, quòd licet leges seculares appellationem, nisi in quibusdam casibus, ante sententiam non admittant, sacri tamen Canonones ante & post litis contestationem, & in prolatione sententiæ & post singulis facultatem tribuunt appellandi^b: ante sententiam tamen appellans rationabilem causam exprimere tenetur^c. Vna sententia pluribus condemnatis, si vnus solus ad appellationis beneficiũ cõvolarit, illius victoria iure cõmuni cæteris suffragatur, si iure communi iuuentur, idemq; negotium & eadem causa defensionis existat^d. Innouata autem post appellationem à diffinitiuã sententia interiectã, debent semper (exceptis casibus, quibus iura post sententiã prohibent appellare) ante omnia per appellationis iudicem penitus revocari: imò & ea omnia, quæ medio tempore inter sententiam & appellacionem, quæ postmodum intra decendium interponitur, fuerit innouata: illa verò, quæ post appellacionem interpositã ante diffinitiuã sententiam innouantur, donec appellacionis causam veram esse constiterit, revocari non debent, nisi iudex appellacionis, postquam sibi

A constiterit per appellacionem emissã ex probabili causa ad se negotium devolutum, inhibeat Canonicè iudici, à quo est appellatum, ne procedat: tunc enim quicquid post inhibitionem huiusmodi fuerit innouatum, etsi causa appellacionis vera non sit, per iudicem appellacionis ante omnia in statum pristinũ est restituendum^e.

Is autem, qui appellat, intra dies triginta instanter Apostolos petere debet^f. Sunt enim Apostoli literæ quædam dimissoria, quibus iudex, à cuius sententia appellatum fuit, notum facit iudici superiori, appellacionem à sua sententia interpositã, & appellacionem ad eius iudicium remittit^g. Appellatio tam iudicialis, quàm extraiudicialis, debet intra annum, nisi iudex terminũ coarctarit^h, vel ex causa etiam intra biennium à die interpositionis ipsius, vel à die illati grauaminis, vbi à futuro grauamine appellatur, finiri: quod si iusto impedimento cessante appellans non curauerit, eius appellatio deferta censebiturⁱ. Nò licet autè alicui in eadem causa terciò appellare^k. Quinimo si quis tres sententias contra se in petitorio, vel possessorio reportauerit, nullatenus ad agendum de nullitate ipsarũ, vel alicuius ex eis, admittetur, donec plenam executionem fuerint

O o

^a c. conseruatio
ni. de appel
lat. in 6.

^b c. super eo.
§. 2. de ap
pellat.

^c c. ut debitus.
de appellat.

^d c. una senten
tia. de ap
pell.

^e c. non solum.
de appell. in
6.

^f c. ab eo. de
appel. in 6.

^g gl. c. 1. de ap
pell. in 6. l.
1. ff. de libel.
dimissor.

^h c. cum sit Ro
mana. de ap
pellat.

ⁱ de. sicut. de
appellat.

^k c. directè. de
appellat.

*a clem. 1. de re
iudica.* consecuta^a.

Sed cum & de summarijs iudicijs aliqua sint dicenda, sciendum est in eis propria quaedam iura seruari, siue ex negotiorum & causarum natura eam qualitate consequantur, siue ex maiori dati forma.

Et in causis quidem electionum, postulationum, vel provisionum, aut super dignitatibus personalibus, officijs, Canonicatibus, vel prebendis, seu quibusvis beneficijs Ecclesiasticis, aut super decimis, necnon super matrimonijs & usuris, & eas quoquo modo tangentibus proceditur simpliciter & de plano, sine strepitu & figura iudicij^b; item in causis hære-

*b clem. dispen
diosa. de iu
dic.*

*c. si. in prin.
de hæret.
in 6.*

* Eorum autem verborum vis hæc est, ut necessario libellus non exigatur, litis contestatio non postuletur, temporeq; etiam feriarum necessitatibus hominum concessarum à iure procedi valeat, dilatorum materia amputetur, ac lis quam breuissima fiat, exceptiones, appellationes, dilatorias, & frustratorias, partium, advocatorum, & procuratorum contentiones & iurgia, testiumque superfluum multitudinem refragando, non sic tamen rem coarctando, quin probationes necessariae, & defensiones legitimæ admittantur, & quin citatio ac præstatio iuramenti de

A calumnia locum habeat, item in ipso litis exordio nihilo minus petitio est facienda, tam ex parte actoris, quam rei, siue scriptis, siue verbo, dum tamen actis inferatur. Item iudex sic datus potest terminum ad dandum simul positiones & articulos præscribere (nisi aliud de voluntate partium procedat) & ad exhibendum omnia acta, & monumenta, quibus partes uti volunt in causa post dationem articulorum, diem certam, quandoque sibi videbitur, assignare. Interrogabit etiam in huiusmodi causis iudex partes tam ad earum instanciam, quam ex officio, ubicunque hoc æquitas suadebit: sententiam vero diffinitivam, citatis ad id licet non peremptorie partibus, in scriptis, & pro ut magis sibi placuerit, stans vel sedens proferet, etiamsi ei videbitur, conclusione non facta in causa, pro ut ex petitione & probatione, & alijs actibus in causa fuerit faciendum.

Si tamen in prædictis casibus solennis ordo iudicialis in toto, vel in parte non contradicentibus partibus fuerit observatus, non ideo processus nullus irritandusve erit^d.

Non tamen semper supra dictæ clausulæ omnes simul copulantur, sed aliquæ, vel una

*d clem. sept.
de verb. sig.*

ex

ex eis tantum.

Sciendum est postremo, quod aliud est iudicium civile, cuius finis respicit priuatum commodum, aliud criminale, quod pu-

blicum interesse, vindictamque publicam respicit^a. Quare tradenda sunt ea, quæ ad iudicium criminale spectant.

^a Dost in Ra. de iudic.

M. ANTONII CVCCHI IVRIS
CONSULTI INSTITVTIONVM IVRIS
CANONICI, LIBER IIII.

QVIBVS MODIS
de crimine agatur,

TITVLVS I.



Idendum est de iudicijs, quæ circa delicta versantur. Nam etsi leges Pontificiæ poenarum atrocitatem exhorreat, quibus præsertim de sanguine & vita hominis agitur: non tamen ita indulgētes se præbent, vt velint crimina omninò delinquentibus condonare, sed vt & qui deliquerunt, discant talia posthac non committere, & cæteri poenarum metu sint ad scelera patranda tardiores, certas poenas adinuerunt, quæ in fontes ex delicti qualitate citra sanguinis vindictam, aut membri debilitationem exerceri possint (quædã enim culpæ existunt, in quibus culpa est relaxare vindictã^a) multo-

^a e. quia. dist. 28.

que modos tradiderunt, quibus medijs contra facinorosos homines ad publicam vltionē perueniri possit.

Quinque enim sunt modi, quibus de crimine haberi notitia potest: videlicet, Accusatio, Denunciatio, Inquisitio, Exceptio, & Notoriū^b. Nam etsi alij quoq; enumerari solent^c, hi tamen magis ad rem sunt.

In Accusatione hoc seruatur inconcusse, vt si legitimus non fuerit accusator, non fatigetur accusatus^d. Nec laico clericū accusare cōceditur, nisi suã, vel suorum iniuriã prosequatur^e: quibusdã articulis, quibusdãq; criminibus exceptis^f. Nec cōceditur super iisdē criminibus quēpiam sæpius vexari, sed semel absolutus deinceps amplius de eodem crimine molestiam pati nõ cogitur^g. Et ne passim calumniatoribus licētia daretur alium ex libidine sua

^b Spee. in ti. de accusat.

^c Felin. c. qualiter. 2. uer. ad corrigendos. de accusat.

^d c. x. de accusat.

^e c. de cætero. de testib. ubi gl. & Doc. c. cum p. m. conella. de accusat.

^g c. de his. de accusat.